Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris vigesima-prima Martii.

M. FRANCISCO PAJOT, Doctore Medico, Præside.

An à probâ victus ratione, solâ, vita longior?

INCIPIT mori qui nascitur, & qui dies aperit vitam, idem & aditum præbet interitui; nemo vitat libitinam, sed non omnium tabernas æquo pulsat pede, pauci fato suo pereunt, plures ante diem deficiunt, at suâ culpâ, quia parum cauti & attenti in victus lege: extenso vivet ævo, qui à natalibus bene morata sortitus viscera, & cui meliore luto finxit præcordia Titan, probam victus rationem, solam, sibi comitem adjunxerit, quâ duce & auspice longa, durabilis, humidi primigenii cum calore nativo coit societas, mollities viscerum, quæ maximi ad longiorem vitam est momenti, servatur, siccitas, quæ mors est, inhibetur, coctiones omnes rite peraguntur, hominis unum & singulare bonum, sanitas, optima secundum naturam κατὰ φύσιν, quam actionum integritas corporis & animi robur necessario comitantur, floret, habilis ad vitæ munia vigor sustinetur, excrementorum laudabilis fit evacuatio, & sic à scopo ad quem collimat non aberrabit.

AD modum ignis vivit homo, indigent ambo amico pabulo, quo foveantur, refocillentur & instaurentur, quod si absit & desideretur, diu non stant, majorem ligni congeriem, igni, quam par est, non impunè appones, ex hac non luculentiorem spera, sed citam σβέσιν expecta, si subtrahas ligna foco certa μαρασμὸς sequitur; vita in caloris nativi, & humidi primigenii mansione collocatur; quò arctiori vinculo inter se colligantur, eò longior. Verùm cum calor sua indole fugax sit, & vorax, humorem, pinguem licet, & oleaginosum perpetuo deprædatur; ad utriusque reponendam, & resarciendam jacturam & decessionem, opus fuit adminiculis quibus quod jugi effluxu deteritur, assiduo affluxu reponatur, & novæ in dies accedant fulturæ ruenti nostræ substantiæ, alia non credas præter probam victus rationem, quæ circa cibum & potum potissimum versatur, ille famem domat, hic sitim & alimenta diluit, in ea variè sæpiusque delinquitur; ardua tamen & difficilis via non est, modo asper & attentus sis ejus legibus.

MULTI præcipitant diem suam, non tœdio præsentis vitæ, sed desiderio futuræ longioris quam non assequuntur: hujus spe se lactat inani, qui neglectâ & spretâ probâ victus ratione, solâ, cibos simplices, paratu faciles fastidit, varios, discordes, coctu contumaces, ancipites obligurit, & quos ingeniosus ingluviei magister & artifex coquus condimentis obsoniis ad voluptatem & irritamentum inficit, inquinat, & adulterat, carnes, pisces, alieno à cælo petitos, promiscuè sine delectu, sine ordine tanquam gurges deglutit & absorbet: potus, falerni cyathi plures, quos exsiccat: ignorat hic, quod parvo vivitur bene, & quæ tortor gula sibi paret mala, cibis enim se refercire, præceps est ad mortem gradus, gravatus calor, molem quâ premitur, male conficit, à qua illuvies, magnorum morborum parens, sobolescit. Alter magis delirus fame se necat, μονόσιτος est, panem non primarium & legumina sub jugo lancis trutinat, & edit; summum credit nefas, vinum quod non est venenum, sed lac senum, delibare: Infelix homo! cibo perit quo maxime indiget, graviora certe ex pauperie alimenti damna, quam ex abundantia, μονοσιτία sua siccitate, suoque truci calore sanguinem & spiritus incendit, torret viscera, exta celerius senescunt, & amarulentioribus fit moribus. Hæc avertes pericula & longævus eris, si mediam inter utrumque carpas viam, & rerum non naturalium tempestivus & moderatus servetur usus.

LUDUNT credulos & iis imponunt, qui Margaritis, lapidibus pretiosis, Divitiis Arabum, auro potabili Chymistarum oleis & salibus, novatorum somniis longiorem vitam pollicentur. Ista Archetypæ nugæ, quid opis ab iis speres? quæ nullo nobis familiari substantiæ modo & fœdere connectuntur: Ecce tibi omnia ejus adminicula & commoda, facile & abunde subministrat proba victus ratio sola, quæ tantum tuendo corpori indulget alimenti, quantum sanitati conservandæ sat est, hæc te docebit quo cibo, quo ordine sis pascendus, ejus consilio nunquam oggeres, si appetitus non est legitimus, puritas ventriculi & prima coctio non sit perfecte peracta, in eam rem natura nobis insevit cibi potusque desiderium; at quoniam in die, sæpius incitamur, bis in die cibari, etiam valenti salubre, pueris operis frequentius conceditur, cœna prandio lautior, sed non sybaritica, sibi non consulit sed aberrat plurimum qui chylosi seriò non attendit, à qua nutritionis & vitæ pendet opus, primæ coctionis peccata & errata non emendantur secundâ, qualisque chylus seu purus seu impurus, talis ab eo sanguis totius corporis alimentum futurum.

VERE, sibi multa ad longiorem vitam parat commoda qui cibis εὐπέπτοις, εὐχύμοις, εὐαναδότοις, εὐχυλίοις pascitur, quorum quantitatem nativi caloris efficientia definiet, omne punctum feret, & feliciter rem absolvet qui cæteras res non naturales, his consociarit, & aërem temperatum, consistentiâ tenuem, purum, lucidum, nullis vaporibus obsitum spirabit, cibos antecedet exercitatio moderata, ut ab iis blandissima rerum quies, somnus placidus obrepat, quo instauretur non obtorpescat, vilia escarum detrimenta foras eliminabuntur, gravibus pathematis & motibus animus non exardescet aut deprimetur, hac arte & methodo vivens, ætates omnes salubres peraget, & hodiernæ crastina summæ tempora adjiciet, vivida à carceribus ad calcem erit sanitas, tardè sentiet se esse senem, & sensim sine sensu labentibus annis, tacito passu, claudoque pede scenam claudet.

Ergo à probâ victus ratione, solâ, vita longior.



Proponebat Parisiis AMANDUS DOUTE', Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.